



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

III. Relationem causæ increatæ ad suos effectus non esse essentialem,
seu transcendentalem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

CAPVT III.

*Relationem causæ increata ad suos effectus
non esse essentialē, seu trans-
cendentalem.*

22.

HOc est, in Deo non esse prædicatum essen-
tiale, sed potius partim intrinsecum, par-
tim extrinsecum, quod sit absolute potens pro-
ducere creaturas; nec cum harum possibilitate
cum ita connecti, ut si essent impossibiles, de-
ficeret; longè verior sententia est. Quam tuc-
tur Scotus, & ascleæ, necnon Henricus, Au-
reolus, Richardus, Durandus, Bonaventura,
Ægidius Romanus, Alexander, Gregorius Gab-
riel, & passim Nominales. Item ex Recentio-
ribus Basilus Legion. ubi supra, Gamachæus,
Aluiz, Acherus, Pefantius, & alij non pauci.
Ac tandem ex nostrâ Societate Valquez 1. part.
disp. 104. & 143. Hernelmam volum. 2. in 1. p.
tit. 8. disp. 1. cap. 3. Alarcon tract. de scient.
disp. 2. cap. 4. Oniedo contr. 10. Met. punct. 4. §.
2. num. 5. & punct. 6. num. 14. Molina 1. part.
q. 34. art. 3. disp. vnic. vers. *Atque hinc dilues,*
quatenus ibi expressè ait; Concedendum esse,
quod si per impossibile Pater in essentia non inuere-
tar creaturas, Verbum diuinum procederet ex no-
titia solius essentia, & non etiam creaturarum. Item
Ripalda tum in manuscript. Philosoph. tum etiam
tom. 1. de ent. supern. disp. 41. n. 71. & Luisius
de Torres in opuscul. disp. 2. de Trinit. dub. 3.
Necnon Gaspar, & Petrus Hurtado hic in Me-
taphys. disp. 15. sect. 9. conclus. 2. ille tom. 1. in
3. part. difficult. 5. Gilius 1. p. lib. 2. tract. 10.
cap. 6. num. 10. Raynaudus in Theolog. natural.
dist. 8. q. 5. art. 6. num. 738. Albertin. tom. 2.
in prædicam. ad aliquid corol. 2. & 3. Arni-
bal. 1. p. tom. 1. disp. 26. cap. 4. Præpositus
1. p. q. 35. dub. 2. à num. 15. Becanus 1. p.
tom. 1. tract. 1. cap. 9. quæst. 13. num. 10. aliis-
que plures.

23.

Quorum sententia, quam ut probabiliorē
sequor, hunc in modum suadet. Si omni-
potentia Dei cum creaturis essentialiter connexa, &
ad eas transcendentaliter relata statuatur, non
poterit non dependere à creaturis, iisque in-
digere: quæ enim maior dependentia, aut in-
digentia alterius, quam non posse esse sine
illo. Consequens autem est hæreticum, &
contra illud Psalmi 15. *Deus Deus meus es tu,*
quoniam bonorum meorum non eges, aliaque in-
numera id genus Scripturarum, & Sanctorum
Patrum effata. Confirmatur primò: causæ creata
ab effectu, & materia à formâ à posteriori verè
dependent, ut omnibus exploratum est; non
quia ab effectu, & formâ esse emendicent, cum
potius iis esse largiantur: igitur præcisè quia
sine iis esse non possunt: igitur si Deus sine
creaturis possibilibus de se esse nequeat, ab iis
proculdubio dependebit. Confirmatur secun-
dò: quoties duæ causæ ita comparatæ sunt, ut
vna absque aliâ operari nequeat, sanè vna ab
alterâ in operando dependet: quâ ratione causæ
secundæ in operando à causâ primâ dependent,
quia absque eius concursu operari nequeunt:

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

igitur quoties ex duabus rebus vna absque aliâ
esse nequit, vna ab altera secundum esse depen-
det: at Deus esse nequit sine creaturis possibili-
bus, siquidem iis deficientibus repugnaret, ut
aduersarij profitentur.

Hoc argumentum instant aduersarij: quia
Pater Æternus sine filio esse non potest, & ta-
men ab eo non pendet: igitur esto Deus sine
creaturis possibilibus esse nequeat, ab iis inde-
pendens esse poterit. Hæc instantia, quam ad-
uersarij manifestam arbitrantur, mihi magnopere
displicet: tum quia Pater Æternus sine filio
existente esse non potest, & tamen si sine crea-
turis existentibus esse nequiret, ab iis procul-
dubio penderet; ideo enim absque iis existentibus
existere potest, quia id ad eius perfectio-
nem, & independentiam attinet: ergo similiter
esto connexio Patris cum cœuo sibi filio de-
pendentiam, & imperfectionem non arguat,
eam tamen arguet connexio cum creaturis possi-
bilibus. Tum etiam productio, quâ Pater Fi-
lium producit, nullam in Filio dependentiam,
aut imperfectionem arguit; & tamen productio,
quâ Deus creaturas producit, cum earum depen-
tiâ, & imperfectione coniuncta est: igitur tamen si
cum filio absque dependentiâ connectatur, non
propterea cum creaturis absque dependentiâ con-
nectetur. Tum demum: & eodem redit: quia
Pater Filium absque causalitate producit: & ni-
hilominus creaturas, quas producit, subinde
causat: similiter ergo in præsentia, &c. Itaque
dependentia est respectus ad aliud, cum quo con-
nectitur: quando igitur Filius aliud à Patre non
est, eo quod eiusdem cum eo naturæ, & essen-
tiæ sit; quid mirum, si Pater non pendeat à Fi-
lio, cum quo connectitur. At hæc ratio non mi-
litat in Deo, & creaturis, quarum quælibet
aliud quid à Deo est. Explicatur vltèrius: con-
nexio identitatis mediata saltem, siue in tertio
dependentiam non arguit: at huiusmodi con-
nexio reperitur inter diuinas personas, non verò
inter Creatorem, & creaturas: ergo, &c.

Absolute respondent plerique aduersarij, possi-
bilitatem creaturarum ab omnipotentia Dei in-
distinctam esse: ac proinde Deum nequire esse
absque creaturis possibilibus, perinde esse, ac
eum sine se ipso esse non posse: quod autem
Deus absque se ipso esse nequeat, nullam in eo
dependentiam, aut imperfectionem arguit. Ex-
plicatur: duplex est connexio: alia identitatis:
alia inseparabilitatis: prior extremorum distin-
ctionem postulat, secus verò posterior: illa fortè
imperfectionem arguit, nec aliud argumentum
probat, secus hæc: posterior est, quæ inter Deum,
& creaturarum possibilitatem interuenit. Cæte-
rum hæc solutio ex dictis cap. præcedenti eua-
nescit: ibi siquidem possibilitatem creaturarum à
creatoris capacitate, & virtute distinguendam
eui: unde connexio Dei cum creaturis possibili-
bus, si admittatur, erit connexio inseparabilita-
tis: quæ quidem dependentiam, & imperfectio-
nem Deo assimilatur.

Alij secundò respondent, possibilitatem
creaturarum propriè, & simpliciter nihil esse,
ac tantum propriè, & secundum quid aliquid:
vel quia mera carentia, seu negatio repug-
nantia suâ sponte est: ad modum, quo tenebræ
carentiæ lucis sunt: vel quia si quid positium

N 3 est,

est, ab existentia distinguitur, ac proprie ens, aut aliquid non est. Vnde Deum nequire esse sine possibilitate creaturarum, ab eâq; pendere idem esse, ac à nihilo pendere, & cum nihilo connecti, quod potius ad perfectionem, quàm ad imperfectionem attinet. Hæc solutio speciosa quidem est, sed præter speciem nihil probabilitatis habet: nam si connexio Dei cum creaturarum existentia, aut extremo aliquo, quod simpliciter aliquid sit, dependentiam, & imperfectionem denotat, quantò magis eam arguet connexio, cum eo, quod simpliciter nihil, omnisque perfectionis expert. Confirmatur, & declaratur: connexio vnius extremi cum alio eò maiorem imperfectionem arguit, quò terminus connexionis imperfectior est: quare maiorem imperfectionem Deo affingeret eius cum existentia formicæ connexio, quàm si cum supremo Angelo connecteretur: quod si terminus nullius imperfectionis sit connexio cum illo, nullam imperfectionem arguit, ut in connexione personarum Triados cernere est: at quod simpliciter nihil est, eo ipso imperfectissimum est: si qua igitur connexio imperfectionem indicat, vel potius adstruit; sanè ea potissimè, quæ est cum nihilo. Itaque pendere simpliciter à nihilo, & cum nihilo simpliciter connecti bifariam intelligi potest. Primum, ut idem sit, quod simpliciter non connecti cum vllò extremo, qualecunque demum sit, & siue simpliciter aliquid sit, siue non: & sic cum nihilo connecti, & à nihilo pendere nullius imperfectionis est, cum non tam sit connexio, & dependentia, quàm vtriusque carentia, seu negatio. Secundò, ut idem sit, quod re vera connecti cum aliquo extremo, quod simpliciter nihil, & secundum quid aliquid sit: & hæc connexio imperfectionem, & dependentiam arguit. At huiusmodi est connexio, quæ reperitur inter Deum, & creaturas possibles, si qua inter eos reperitur: ergo, &c.

26. Alij respondent ad dependentiam à possibilitate requiri, ut possibilitas possit esse, & non esse; sine hac enim contingentia, & indifferentia Deum à possibilitate creaturæ pendulum, & quasi suspensum esse non posse, ut vel ex ipsius vocibus perspicuum est: cum ergo possibilitas creaturarum necessaria sit, & ad esse, vel non esse indifferens non sit, mirandum non esse, quod omnipotentiam Dei pendentem, & quasi suspensam tenere non possit. Contra tamen, quia ut creatura à priori à Deo depédeat, & quasi suspensa sit, necessum non est, ut Deus possit esse, vel non esse: ergo ut Deus à posteriori dependeat à creaturarum possibilitate, necesse non erit, ut hæc possit esse, & non esse. Rursus materia celestis dependet à posteriori à formâ cœlesti, cum tamen hæc non possit non esse, illa supposita; non possit, inquam, ex naturâ rei. Idem cernere est in anima nostrâ, quæ, si distinguitur realiter à suis potentiis, intellectiua verbi gratia & volitiua, sanè ab iis non potest non dependere: & tamen non sunt indifferentes ad esse vel non esse, supposita existentia animæ: sed potius ex hac suppositione necessaria, vel naturaliter, vel, ut plures autumant, etiam Metaphysicè, & in ordine ad potentiam Dei extraordinariam, & absolutam. Demum alij respondent, dependentiam à posteriori cum dependentia à priori ab alio coniunctam esse: ideo enim materia à posteriori dependet à formâ, quia causa materiæ primæ pro-

ximè expedita ad illam producendam est ex natura rei determinata ad formam ponendam: cum ergo Deus à priori ab alio pendere nequeat, nec à posteriori etiam ab alio pendere poterit: Contra tamen, quia si Deus haberet connexionem essentialem cum existentia alicuius creaturæ, certè ab ea à posteriori dependeret, & tamen à nullo à priori in eâ hypothese dependeret: ergo quamvis de facto à nullo à priori dependeat, à posteriori tamen à possibilitate creaturarum dependebit, ubi semel cum eâ connectatur.

CAPVT IV.

Vltior verioris Sententiæ probatio.

27. Argumentor secundò: Deus secundum prædicatâ essentialia, & quidditatiua præcisè sumptus non est absolute potens producere res creatas: non ergo connectitur essentialiter cum illis, nec habet ad eas ordinem, aut relationem transcendentalem. Id probatur: quoniam ideo Deus est potens absolute producere creaturas, quia secundum se non repugnant: & non è contrario ideo possibles, & nõ repugnantes sunt, quia Deus pro priori est potens illas producere: Deus igitur secundum se, & essentialiter sumptus haud est potens producere creaturas: sicut igni essentialia esse nequit, quod proximè potens sit calefacere passum, quia ei extrinsecus applicatur, & non ideo applicatur, quia prius proximè potens est, alias applicatio superflueret. Declaratur: si Deo essentialia esset, quod absolute potens sit producere creaturas, sanè ea denominatio absolute potentis creaturarum non repugnantia, & possibilitate posterior esse non posset: Deus enim, qui primum ens est, nihil prius, aut antèius patitur: at denominatio absolute potentis producere creaturas earum non repugnantia posterior est, ut ex causalibus superius positis liquet: igitur Deo essentialis non est talis denominatio, sicut ad eius ad creaturas ordinem transcendentalem oporteret. Porro autem veritas earum causalium suadet: quia ideo Deus nequit producere chimæram, quia chimæra repugnat, & non è conuerso: igitur etiam ideo creaturas producere valet, quia non repugnant; & non conuersum. Antecedens proximè positum est B. Thomæ 1. part. quæst. 25. art. 3. & probatur: quia non posse chimæram producere non oritur ex defectu virtutis in Deo: igitur ex ipsa repugnantia chimære oritur: ac proinde ideo à priori Deus non potest producere chimæram, quia hæc ex se, suisque prædicatis est repugnans, atque impossibilis. Tum etiam constans est Theologorum opinio, ideo Deum prohibere, & odisse objecta intrinsecè, & essentialiter mala, quia mala sunt; & non ideo mala esse malitia quidem radicali, & primaria, quia Deus ea prohibet, odioue prosequitur: similiter ergo ob id Deus producere nequit chimæram essentialiter repugnantem, quia repugnat, & non è conuerso.

28. Respondent aliqui Recentiores, Deum quidem non esse essentialiter, & secundum se non potentem producere chimæram: nec cum eius intrinseca repugnantia connecti: ceterum hoc non obstante esse essentialiter potentem producere creaturas, & cum earum possibilitate connexum: quare